ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 68.

Hinc merito conjicias sermonem Hippone habitum vivente *Proculiano* sive *Proculeiano*, ejusdem urbis ex Donatistarum parte episcopo circiter initium quinti sæculi : de quo vide August. epist. XXX, XXXIV, XXXV, LXXVIII et LXXXVIII.

ANNOTATIO (1 bis) pag. 121.

Sequitur versionem Hieronymi, qui primo quidem Psalmos, quos juxta LXX jam olim Ecclesia decantat, emendandos recepit ; postmodum vero nova ex hebræo translatione Psalterium integrum latinitate donavit ; qua de re extat ipsius ad Sophronium Epistola, ejusdemque operis mentionem facit etiam Augustinus in Epistola ad Audacem nunc CCLXI. Denique hujusce versiculi interpretationem : *Adorate pueri*, suam agnoscit Hieronymus, vindicatque in lib. I, adversus Ruffinum. In cæteris confer Psalterium Hieron. juxta Hebr.

ANNOTATIO (2) pag. 138.

Vulgata versio caret hac sententia : *Ab aqua aliena*, etc., quæ quidem erat Augustino familiaris, sæpeque ab ipso in congressu cum Donatistis prave eam usurpantibus explicata : habetur apud LXX. Prov. cap. IX sub vers. 18. Ex eorumdem interpretatione ipsi in mentem veniebant alia hic subjecta testimonia ; nisi quod LXX istud efferunt in plurali, χεῖρες δὲ ἀνδρείων πλουτίζουσιν, *manus fortium locupletant.*

ANNOTATIO (3) pag. 177.

Sacra Biblia, *Qui ambulavit* : idque Hieronymus de Christo interpretatur ; *Qui non habuit speciem*, inquit, *nec gloriam*, *sed in similitudine carnis peccatricis suscepit formam servi*. Attamen Augustinus videtur legisse : *Quis ambulavit*, ac de homine in peccatorum suorum tenebris agente intellexissse.

ANNOTATIO (4) pag. 196.

De hujus libri auctore non sic loquebatur Augustinus in lib. II de Doctrina Christiana cap. VIII, n. 13, sed cum Speculum istud concinnaret, jam deposuerat opinionem primam, qua illi Sapientiæ librum ab Jesu Sirach. scriptum fuisse asseruerat. Confer. lib. II, Retr. cap. IV, necnon annotationem in prædictum locum lib. II de Doctrina christiana.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.		BIBLIOTHECA GALLICA.
Enarrat. in Psalmum CXX. Pag.	3	Ejusdem fragmenta, tom. XXII, pag. 75-77